

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Natiuitas c
cum fontibus proximo et primis

Michi enim impossibile est generationis scire secretum;
mens deficit, uox silet, non mea tantum sed et angelorum,
supra potestates et supra cherubin
et supra seraphin et supra omnem sensum est, quia scriptum est:
Pax Christi supra omnem sensum.
Et si pax Christi super omnem sensum est,
quomodo non est supra omnem sensum tanta generatio?
Tu ergo ori manum pone, scrutari non licet superna mysteria.
Licet scire quod natus sit; non licet discutere,
quomodo natus sit.
Hoc enim querere metus est.

Ineffabilis enim est illa generatio,
unde Ysais ait: Generationem eius quis enarrabit?

Hoc humanum sensum et intelligentiam mundi excedit.
Hoc non capit humane intelligencie ratio,
sed prudentie fidelis professio est.

Ambrosius contra hereticos.

«Sed quaeris a me, inquit Ambrosius,
quomodo si Filius sit, non priorem habeat Patrem?
Quaero item abs te, quomodo Filium putes esse generatum?
Mihi enim impossibile est generationis scire secretum.
Mens deficit, uox silet, non mea tantum, sed et angelorum.
Supra Potestates, et supra Angelos, et supra Cherubin,
et supra Seraphin, et supra omnem sensum est, quia scriptum est:
Pax Christi supra omnem sensum est.
Et si pax Christi supra omnem sensum est,
quomodo non est supra omnem sensum tanta generatio?
Tu ergo ori manum admove; scrutari non licet superna mysteria.
Licet scire quod natus sit, non licet discutere
quomodo natus sit. Illud negare mihi non licet,
hoc quaerere metus est».

Ineffabilis enim est illa generatio;
unde Isaias: Generationem eius quis enarrabit?

Petrus Lombardus, *Sententiae in IV. libris distinctae*, 1.9.3.1
(*Spicilegium Bonauenturianum*, editio tertia, p.105, ll.5-14).

Hoc autem humanum sensum et intelligentiam mundi excedit;
non hoc capit ratio humanae intelligentiae,
sed prudentiae fidelis professio est.

Petrus Lombardus, *Sententiae in IV. libris distinctae*, 1.9.5.2
(*Spicilegium Bonauenturianum*, editio tertia, p.110, ll.10-12).

Mihi enim impossibile est generationis scire secretum;
mens deficit, uox silet, non mea tantum, sed et angelorum.
Supra potestates, supra angelos, supra cherubin,
supra seraphin, supra omnem sensum est, quia scriptum est:
Pax autem Christi quae est super omnem sensum.
Si pax Christi ‘supra omnem sensum’,
quemadmodum non est super omnem sensum tanta generatio?
Tu quoque manum ori admove; scrutari non licet superna mysteria.
Licet scire quod natus sit, non licet discutere,
quemadmodum natus sit.
Illud negare mihi non licet, hoc quaerere metus est.

Ambrosius Mediolanensis, *De fide libri V.*, 1.10.64-65 (CSEL 78,
O. Faller ed., p.28, ll.23-33).

← Si igitur natum ante tempora aeterna
non ratio humanae intelligentiae,
sed prudentiae fidelis professio est,
— quia et natiuitas per auctorem est et quod tempora excedit aeternum est
et extra sensum terrenum est quod ante tempora aeterna sit natum,
— certe iam inopia uoluntate sensum humanae rationis extollimus,
ut per intelligentiam mundi non fuerit antequam nascitur,
→ cum ultra sensum humanum et intelligentiam mundi nascatur aeternum.

Hilarius Pictauiensis, *De trinitate*, 12, 26 (CCSL 62A, P. Smulders ed.,
p.600, ll.10-18).